

HIERACIUM *Linn. Gen. pl. ed. Schreb. n. 1238*
ex reformatione Tauschii in Flor. 1828.

Involucrum multiflorum, squamis imbricatis vel biserialibus. Receptaculum nudum, alveolatum, alveolis dentatis (interdum simul ciliatis) fimbriiferisve. Ligulæ apice quinque-dentatæ, circa faucem pilosæ. Achænia subcolumnaria, cylindrica, striata, apice truncata, erostrata. Pappus sessilis, uni- l. subbi-serialis, sordide albidus l. rufescens (Stenothecarum passim niveus), pilis simplicibus, rigidis, fragilibus, basi haud dilatatis. *Herbæ perennes (rarissime biennes), plus minus lactescentes, foliis antrorsum dentatis (vix runcinatis), indumento duplici, altero piloso, passim glandulifero, altero stellato-floccoso.*

Genus integrum servavi, quale a Tauschio limitatum et ab omnibus recentioribus receptum. Variæ vero species una alterave nota recedunt, præcipue Stenothecarum, ut genere facile moveantur, sed hoc tantum fieri debet una cum vicinorum generum revisione. Maximi vero practici usus esset, si Pilosellæ, strictissime ab Archieraciis limitatæ, tamquam peculiare genus proponantur. — Paucas hoc loco admisi species, plerisque ignotas et ad genus definitum nondum relatas, meo sensu vero excludendas, nempe *H. bracteolatum* et *Lessertianum*.

Conspectus dispositionis.

- I. PILOSELLA. Involucrum irregulariter imbricatum. Achænia minima, pappo uniseriali, radiis æqualibus tenuissimis.
1. PILOSELLINA. Rhizoma repens, stoloniferum. Squamæ involucri introrsum decrescentes, intimæ acutæ. Anthela monocephala, racemosa l. furcata. Folia subtus plerumque cano-floccosa. *N. 1—10. — p. 10—18.*
 2. AURICULINA. Rhizoma repens, stoloniferum. Squamæ involucri intimæ obtusæ, exc. n. 15. Anthela subcorymbosa. Folia subtus subnuda. *N. 11—20. — p. 18—23.*
 3. ROSELLA. Rhizoma subrepens l. descendens, *rosuliferum*, rosulis in rhizomate sessilibus. Involucra ventricosa, apice congesta. *N. 21—29. — p. 24—28.*

* *Involucris farinosis, subpilosus et sæpe glanduliferis, squamis adpressis.*

41. *H. polyodon* n. sp.

Phyllopodum, glaucum. Caulis scapiformis, subnudus, canofloccosus pilisque subulatis, rigidis brevissimis exasperatus. Folia radicalia rosulata, sessilia, lineari-lanceolata, glabra, dentibus crebris, æqualibus, patentibus subruncinata. Pedunculi involucraque glanduloso-setosa, squamis obtusis nigricantibus, margine pallidis. Stylus luteus.

In Capite B. Spei (*Ecklon! 33, 10. — v. s. sp.*).

Valde diversum ab *H. capensi* et hoc loco aptissime inserendum. Habitus sequi et *H. bracteolati*; statura vero *H. magellanici*. Caulis interdum ramosus, uno alterove folio ramis subjecto. Folia radicalia deorsum longe attenuata. Capitula *Adenostyles* habitu. Achænia columnaria nec sursum attenuata.

42. *H. Chondrillæfolium* n. sp.

H. Chondrilloides Will. *Delph. 111. p. 114* ex Gren. in litt. — *H. rupestre* Willd. *Herb! 14673. n. 1.*

Phyllopodum, glaucum. Caulis glaber, unifolius, oligocephalus vel monophyllus, simpliciter furcatus vel ex omni ala ramosus, subdichotomus. Folia radicalia oblonga lanceolatave, pinnatifido-dentata, caulinum infimum conforme; reliqua reducta, linearia. Pedunculi longissimi, monocephali, apice piloselli. Involucra canofarinosa, pilosella, eglandulosa, squamis sursum attenuatis, obtusiusculis. Stylus luteus.

In rupibus Delphinatus, ut videtur raro (*v. s. sp.*).

Planta spithamæa l. parum ultra, basin versus nunc simpliciter, nunc repetito-furcatus, in illis dicephalus, in his 4—6-cephalus, pedunculis monocephalis, caule longioribus, nudis, strictis, fastigiatis insigne. Folia grosse et fere pinnatifido-dentata, dentibus patentissimis in petiolum alatum attenuata, nunc glabra, nunc setoso-crinata. Involucra majuscula, basi truncata et magis villosa. Stylus in siccis melleus.

43. *H. sinuosum* Fr. in *Vet. Ac. Förh. 1856. p. 147.*

Phyllopodum, cæσιο-glaucum. Caulis foliatus, apice nudus, furcatus, oligocephalus. Folia petiolata, radicalia oblonga, a basi ad medium lyrato-dentata, supra glabra, albopunctata, subtus pilosa, triplicinervia. Pedunculi arcuati. Involucra canofloccosa pilisque brevibus pubescentia, squamis obtusis. Stylus luteus.

In rupibus Sabaudia! In hortum Ups. introductum s. n. *H. picti* (*v. s. sp. et v. c.*).

Subcæspitosum, semper (etiam cultum) pumilum, statura et folio-